

tone haec verba distinguere. Quippe aliud esse pro-
perare, aliud festinare ipse nos, ut dicebam, Cato docuit
in oratione, quae inscribitur De virtute sua contra
Thermum; eius igitur verba ponamus. Qui sic ait:
5 *Nam aliud est 'properare' aliud 'festinare': qui unumquod-*
que mature transigit, properat ...

(Desunt IV paginae.)

<Vos, vos appello, fortis>simi viri.

§ 101.

10 Ἀναδίπλωσις. Ἀποτροφή in ipsos circumstantes
milites facta est, ut, qui maximo terrori erant, idem nunc
in favorem Milonis provocentur volentes esse sine dubio
iusta praemia fortitudini.

Quid respondebo liberis meis? quid tibi, § 102.
Quinte frater?

15 Αὔξησις. Opportunissime fortunam Milonis per totam
domum suam familiamque communicat, ut congregata per
multos miseratio magis commoveat adfectus. Frater
autem Ciceronis Q. Tullius legatione tunc in Gallia apud
exercitum Caesaris fungebatur.

20 Quid me reducem esse voluistis? § 103.

... Exilium quoddam sibi praerogatum videri vult,
cum relegatio Milonis immineat, a quo separari nihil
aliud sibi quam poenam contestatur esse graviorem.

25 Utinam di immortales fecissent (pace tua,
patria, dixerim)!

... iv. Elegantissime declinavit invidiam dicturus,
ut sibi videbatur, id quod esset inprosperum rei p.: si
Clodius viveret. Nec magis veritus est hoc dicere quam
prospexit illud futurum pro Milone, si inter extremas